



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

9. Qualiter sunt horæ terminandæ, & quid agendum est in illo paruo interuallo, quo in choro genuflectimur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

382 DIRECTORIUM HORARVM
QVOMODO SVNT HORAE CANONI-
ca terminanda: & quid meditari debet bonus mona-
chus in illa morula, in qua post singulas horas
canonicas in oratorio fle-
bit genua.

CAPVT IX.

DIximus ecce de horis canonicis quantum
ad ingressum, & quantum ad progressum,
videndum est modò de eisdem quantum ad e-
gressum. Legitur quippe in Ecclesiaste: Melior
est finis orationis, quam principium. Hoc dicitur,
quia omnis laus in fine canitur. Nam opus cuius
finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Non igitur
fratres decet vt finita hora canonica, de ora-
torio mox egredi festinemus. Valde enim hoc
Sancti reprehendunt. quinimmo expleto pe-
seruitutis nostrae debito, mens nostra sollicita
ex intimis praecordiis Dominum exorare: quate-
nus seruitium nostrum gratum habere dignetur:
& humili corde

Veniam petere,
Gratias agere,
Sacrificium offerre.

PRIMO consideret, si habuerit attentionem
deuotionem, & reuerentiam. & de eo in quo
cognouerit defecisse, exposcat sibi à Domino
indulgentiam: vt nostrae humilitas orationis
suppleat imperfectionem deuotionis. & dicat
corde contrito illa Publicani quinque verba: De-
us propitius esto mihi peccatori. sunt enim in-
gentis virtutis, & admirandae deuotionis. Si au-
tem tantam efficaciam habuerunt, vt publica

num Deo reconciliarent, debemus fiduciam habere quod pro negligentis quas in diuino officio inuiti committimus, valebunt satisfacere. Et ea dicentes, pectora tundere instar illius publicani non negligamus.

SECUNDO curet gratias Domino agere, qui dignatus est nos ad suas laudes admittere, & in nobis suam gratiam & consolationem diffundere, & præstare fiduciam eruditionis.

TERTIO studeat offerre sacrificium vigiliarum, & matutinorum & cæterarum horarum canonicarum, quod summè necessarium est: ne aues cæli scilicet dæmones, & vanæ cogitationes venientes, rapiant semen diuini verbi in agro cordis nostri, tempore psalmodiæ seminatum. quod scilicet diuinum semen confestim oratione est abscondendum. Vnde scitote fratres quodlibet bonum opus, esse per orationem semper Deo offerendum: vt semen deificum semper maneat in corde, & spiritualis fructus crescat in actionem: vt sit Deo grata, & nobis, & toti Ecclesiæ proficua. Et hæc oblatio post consummationem diuini operis nequaquam est prætermittenda: vt dignetur in nobis Dominus conseruare, quod nobis bonum dignatus est præstare. Et facienda est per manus sanctorum, quorum agimus festa, & præcipuè Dominiæ nostræ. & dicatur sic: Suscipe Domine Deus meus, precibus & meritis gloriosissimæ virginis MARIÆ & omnium sanctorum tuorum, singulariter Angelorum vel Apostolorum, vel talis sancti cuius hodie memoriam agimus, obsequium seruitutis meæ: & si quid
his

his laudibus dignum egi, clemens respice: & quod negligentius actum est, propitius ignosce, per Christum Dominum nostrum. Vel sic: Consummatum est sacrificium matutinum, vel vesperinum, suscipe illud Domine per intercessionem beatissimæ virginis Mariæ, & istius sancti cuius hodie memoriam celebramus, & omnium sanctorum tuorum ad laudem & gloriam nominis tui, & salutem animarum nostrarum & omnium Christianorum: & requiem defunctorum, per Dominum nostrum. Post horas autem reliquas sic est oblatio facienda: Consummatum est sacrificiū laudis suscipe illud, &c. Et ita nos ipsos in eadem semper conservare devotione, & morum gravitate post orationem debemus: ac si tunc ab oratione discederemus, aptantes mentem ad solita exercitia, vel ad ea quæ in superioribus tractauimus, morosius ruminando.

Quid contemplandum est cum in fine Psalmorum canitur, Gloria Patri.

CAPVT X.

VNiuerſa Dei beneficia, secundum Bonaventuram, sunt,

Bona { Naturæ,
Gratiæ,
Supereminentiæ.

Bona { Naturæ,
Gratiæ,
Supereminentiæ. } sunt dona { creationis
iustificationis
redemptionis.